



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

3. Cui, & de quibus quis possit pacisci.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

lisset tantum exceptio, *d. l. jurigentium, §. 4.* Ex pacto non nudo oritur & obligatio & actio utroque jure, *d. l. 7. & toto tit. D. de praescriptis verbis.* Ratio, cur ex nudo pacto jure civili non detur actio, est, quia quando quis nudo pacto promittit aliquid, eo jure intelligitur leviter & inconsiderate promississe; & ideo jus illud non cogit eam stare promissis, sed hoc ejus liberalitati & honestati relinquit. Deinde, quia si ex nudo pacto daretur actio, infinitae inde lites facile nascerentur, cum nihil sit in communi vita frequentius, quam civiles illae nudis pactis promissiones.

5. Caeterum an jure Pontificio ex nudo pacto oriatur obligatio & actio: admodum controversum inter doctores. Communior & receptior sententia est, oriri, *ex c. 1. h. t.* Nam, quod ibi vult Pontifex, ut inita pacta suam obtineant firmitatem, illud videtur etiam de nudis pactis accipiendum: & *ex c. 3. eod.* ubi jubet Pont. quae promittuntur, opere compleri. Ratio differentiae, quia grave est fidem fallere, cum inter simplicem promissionem & jusjurandum apud Deum nihil intersit, *can. Juramenti, xx. l. 9. §. 5.* Jus autem Pontificium maxime periculum animae spectat: non ita civile, quod magis inspicit externam & politicam, quam internam justitiam. Unde etiam tollat quaedam usuras. *l. Eos qui Cod. de usuris; & concubinatum toto t. D. de concubinis.*

§ III.

Quis, cui, & de quibus possit pacisci.

1. Pacisci omnes possunt, qui consentire.
2. Alteri nemo paciscitur.
3. De omnibus, ad rem familiarem spectantibus pacisci licet.
4. Non valet pactum, bonis moribus aut juri contrarium.

Quandoquidem pacta fiant consensu, *l. 1. D. eodem* live expresso live tacito, pacisci omnes possunt, qui consentire: & e contra, pacisci non possunt, qui nequeunt consentire, ut infans, pupillus infantiae proximus, furiosus extra lucida intervalla, mente captus, ebrius, prodigus, cui bonis interdictum est, nisi paciscendo faciat conditionem suam meliorem, ut si paciscatur, ne à se petatur, & similes.

2. Unusquisque autem sibi rectè paciscitur, non alteri, nisi eius iuri subiectus sit, *l. Si decem §. si pactum sim. D. eod.*

3. Deque omnibus rebus pacisci licet, quae ad privatum paciscentium jus spectant: de publicis non item, *l. jurigentium, §. si paciscatur. l. 4. cum seqq. D. eod.*

4. Cavendum verò, ne, quod in pactum deducitur, bonis moribus aut juri adversetur. *l. ap. fin. h. t.* Hinc non valet pactum, ne dolus praestetur, ne furti vel injuriarum agi possit, si furtum vel injuria fiat, *d. l. 7. §. 15. & l. Si unus 27. §. 4. D. eod.* Sicut nec pactum valet de rebus spiritualibus, vel quae spiritualibus sunt annexae, si non sit gratuitum: veluti si quis, re aliquà temporali datà, paciscitur cum alio, ut ab eo beneficium aliquod Ecclesiasticum obtineat. *c. Cum pridem 4. c. Cum Clerici 6. & c. ult. h. t.* Sed neque momenti alicujus est pactum licet beneficium pro beneficio detur, *c. Quasitum inf. de rerum permutat.* quia omne hujusmodi pactum est simoniacum, *d. c. Cum pridem*: nisi quis paciscatur, ut beneficium vel pensionem pro beneficio accipiat, sub beneplacito superioris. Similiter non potest quis pacisci, ut post mortem alicujus succedat ei in beneficio, *c. Accepimus 5. h. t.*

TITULUS XXXVI.

De Transactionibus.

§. I.

Quid sit Transactio.

1. Transactio & generaliter & specialiter sumitur.
2. Definitio transactionis specialiter sumpta explicata.

Transactio est species pacti generaliter sumpta; ut vel hinc constat ordinis ratio.

1. Sumitur quidem etiam Transactio subinde late pro omni actu, quo ab obligatione receditur, & negotium aliquod inter aliquos componitur, si vel litis causà, si vel non, *c. 2. h. t.* ubi sit Transactio super decimis extra litem: & ita etiam sumitur verbum, Transigere in *l. 1. §. 1. De pactis.* At verò hic specialiter sumitur.

N 3

2. Pro-